



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Ioseph castitatem & fidem, mœchæ flagitio, illustratam esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

data præstetur, & totus sit immaculatus. Causam subiungit: Fornicatores enim & adulteros (vt reos) iudicabit Deus. Si, vt reos iudicabit, ergo displicent ei. Si displicent, cur esse permittit? Possem dicere, vt iustitiam in illis suam demonstret; vt aliquibus occasionem offerat, cum Apostolis dicendi: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Sed & alias huius permissionis causas attexam.

Matth. 19. 10.

C A P V T XXXII.

Prima causa, ob quam DEVS tot adulterijs perfidij sçq. matrimonia contaminari permittit; scilicet, vt castorum coniugum fides tantò magis elucescat.



Vandoquidem igitur genus humanum matrimonijs propagandum est, statu vtique bono atque honesto, & quidem, ob fidem, vt dictum est, coniugalem bono, atque honesto; cur, in eo statu, tot esse perfidias, & tam crebra committi adulteria finit sapientissimus Mundi Gubernator? Ad hanc quæstionem generatim responderi potest, & peculiariter. Generatim enim idem dici potest de matrimonio, quod de Mundo. Nam cum & Mundum bonum condiderit Deus, tamen in eo morbos, & iniurias, & peccata, & mille alia mala esse permittit, quia ipse bonus est; & voluit, ipsis malis bonosque, tanquam contrarijs, illustrari; naturisque rerum cursum suum relinquere. *Nec tamen hoc diuina bonitati repugnat,* ait S. Thomas, *quòd mala esse permittit in rebus ab eo gubernatis. Primò quidem quia providentia non est, naturam gubernatam tollere, sed saluare. Requirit autem hoc perfectio vniuersi, vt sint quedam in quibus malum non possit accidere; quadam verò, quæ defectum mali pati possint, secundum suam naturam. Si igitur malum totaliter excluderetur à rebus providentia diuina; non regerentur res secundum earum naturam: quòd esset maior defectus, quàm tolleretur.* Atque hinc prima & generalis causa responsioque, necessario corollario deducitur.

I.

S. Thom. in
Còp. Theo-
log. cap. 142.

II.

Idcirco enim prouidus Mundi paterfamilias, tot malos viros, atque tot perfidas esse vxores finit, vt maneat sua natura
Ccc ris in-

Genes. 39. 6.

ris indoles & diuersitas, & boni mariti, bonæque ac fide coniuges tanto sint chariores. Omnibus enim rebus & pretium addit raritas, & æstimationem. Tales autem viros, talesque feminas reperiri, litteræ sacræ profanæque testantur. Quid pulchrius esse potest exemplo Iosephi? Quid turpius vxore Putipharis? Latuisset Iosephi virtus, si moxchæ illius impuritas latuisset intra pectus. *Erat Ioseph pulchra facie & decorus aspectus.* Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: *Dormi mecum.* *Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditus, ignorat, quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestatis, vel non tradiderit mihi, prater te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* Huiusmodi verbis, per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & illa recusabat stuprum. Accidit autem, quadam die, ut intraret Ioseph domum, & operis quippiam, absque arbitris, faceret: & illa apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret: *Dormi mecum: Qui, relicto in manu eius pallio, fugit & egressus est foras.* Duo hic sunt, fidei in Ioseph, perfidiæ in femina, simul exempla. In Ioseph tantò commendabilior erat casta fidelitas, quia *erat pulchra facie, & decorus aspectu;* nec tantùm commendabilior, quia *Gratior est pulchro veniens in corpore virtus,* sed etiam, quia venustas & allici facilius, & citius allici solet.

III.

Contigit autem hoc, post multos dies, anno circiter vicesimo seruitutis illius, in Ægypto, cum jam esset 27. annorum, ut nemo fidat tempori, aut de consuetudine sua securus sit. Quercus, quæ centum annis stetit, cadere potest. Potest & homo tentari, post multos annos, qui nullam antè sensit tentationem. Obseruarunt quidam, multos viros pietati assuetos, post quinquagesimum ætatis suæ annum, adhuc, nimiam sui fiducia in libidinem prolapsos. Quàm diu homo in via est, potest errare: quàm diu militat, oppugnari, immò & vinci. Et si ipsa occasio non det, dare tamen eam illi alij solent. Quemadmodum Ioseph, non aspexit ipse Putipharis vxorem, non contemplatus est eius formam curiosè; nihilominus domina illius iniecit oculos suos in Ioseph. Itaque viri non debent tantùm casti-